

PRIMA PARS DE FA

Propositio III

PROPOSITIO III. TRES CIRCULOS

Capricorni & Equinoctialis & Cancrī in matre
astrolabij artificiose describere.

*Descriptio
matris
astrolabio
viii*

MATRIS DESCRIPIONEM, COMMUNI
um astrolabiorum; quæ præter unicam superficiem intra limbum con-
tentam; nullas recipiunt tabulas aut tympana/unius latitudinis aut ele-
uationis polaris astrolabia appellata, in hac & quinque sequentibus pro-
positionibus ingeniose patefaciemus,

1
Quatuor pla-
gæ mundi in-
scribuntur.

2
Maxima solis
declinatio.

3
Æquinoctia-
lem primo de-
scribe occultū
quia diuisioni
bus afficietur.

1 Principio omnium tres circulos Capricorni, Æquinoctialis & Cancrī inue-
nire debemus: super Centro igitur, e. & sub limbo ducito circulum Capricorni tan-
tum distantem a superficie interiori limbi, ut in tali spacio quatuor plagæ mundi
inscribi possint, scilicet sub, a. meridies; sub, b. occidentis; sub, c. septentrio; & sub
d. oriens. Ob signabisque iam ductum Capricorni circulum quatuor literis, f. g. h. i.
in suis quartis aut diametris (diametri enim prius in diuisione limbi factæ partiunt
ipsum in quatuor quartas) ponendo, f. sub, a. limbi, g. sub, b. h. sub, c. & i. sub, d.

2 Deinde supputa ab, a. a meridie uersus orientem in gradibus limbi, maximā
solis declinationem; quæ hac nostra tempestate, 23. gradus & 30. minuta non exce-
dit; & ad finem eius imprime notam: Cui & centro, e. applica regulam, & trahe line-
am occultam & subtilem a circulo Capricorni usque ad centrum, e. Deinceps iunge
unam partem regulæ intersectioni circuli Capricorni & lineæ occultæ; & aliā par-
tem regulæ literæ, g. puncto occidentis; scilicet ubi circulus Capricorni & diame-
ter, b. d. sese absecant. Et ubi regula diametrum, a. c. uel, f. h. quod idem est absecat,
ibi fac notam. Post hac pone unum pedem circini immobilem in centrum,
e. & alium uagantem extende in notam in diametro, a. c. uel, f. h. iam iam
factam, & circino sic manente, circina circulū Æquinoctialis uel
Arietis & Libræ. Quem his literis .k. l. m. n. notabis ponens,
do, k. sub, f. l. sub, g. m. sub, h. & n. sub, i. ¶ Quos
3 cto apta regulam intersectioni æquinoctialis &
lineæ occultæ & puncto l. occidentis in æq-
noctiali; & iterum signa intersectionem
diametri, a. c. & regulæ; & mitte
unum pedem circini in, e. cen-
trum, & reliquū pe-
dem uagum in signatur-
ram diametri; & scribe circulū
tropicum Cancrī. Tandem clario-
ris cognitionis gratia ipsis circulis nomi-
na adiunge: puta circulo Capricorni ascriba-
tur tropicus Capricorni uel tropicus hyemalis aut
brumalis. Æquinoctiali, Æquator uel circulus æqui-
noctius, Cancro, tropicus Cancrī aut tropicus æstiuus.

*Inscriptio
in matre Can-
prietati.*

*Inscriptio
æquinocti-
alis.*

*Inscriptio
Tropici Can-
prietati.*

HUIUS PROPOSITIO-
NIS SEQVENS SVMATVR
SCHEMA.

A